

AD I. COR. CAP. IX.

*Matth. VI. 26. c. X. 29. Luc. XII. 6.* Id verò negare *atheorum* est, qui Dei providentiam & universalem rerum sustentationem inficiantur. *Moysis Maymonidis* sententiam, nulla individua corruptibilia subjacere providentiae divinae, nisi homines, propter intellectum, qui est incorruptibilis, quæ *Arabum* Atheismo e. g. *Algazelis* l. III. *Metaph. c. 5.* Prima causa non scit particularia nisi per notitiam universalem gemina est, ne Judæi ipsi quidem probarunt. Notum enim dictum *R. Manabem* laudatum *Drusio* l. 1. præterit. f. 27. Providentia Dei benedicti est etiam particulariter circa feras & bestias. Deterior autem adhuc *Maymonide* *Grotiùs*, etiam hominum singula individua curari negans, sequutus forte Philosophos illos, de quibus *Justinus* in *Dial. cum Tryph.* Quidam Philosophi cupiunt nobis persuadere, universitatis quidem hujus ac generum specierumque ipsarum curam gerere Deum, meique autem atque tui, & illius corporis sigillatim non itidem. A quo tamen atheismo saniores Philosophi etiam in medio gentilismo abhorruere. Vid. *Plato* in *Epinomide*, *Plotinus* apud *August.* l. X. de *Civitate Dei* cap. 14. Christianorum verò sententiam complexus est *Origenes* homil. III. in *Genesisin*: Deum curare mortalia, & nihil absq; ejus providentia geri, neq; in cælo, neque in terra, certo & immobili dogmate profitemur.

Δι ἡμᾶς γὰρ ἐγγράφη, ὅτι ἐπὶ ἐλπίδι ὀφείλει ὁ ἀρροῦν ἄρροῦν, καὶ ὁ ἀλοῦν τῆς ἐλπίδος αὐτῆς μετέχειν ἐπὶ ἐλπίδι.

Libri hic variant, ut est ab aliis annotatum. Manuscriptus ille: ὅτι ὀφείλει ἐπὶ ἐλπίδι ὁ ἀρροῦν ἄρροῦν, καὶ ὁ ἀλοῦν ἐπὶ ἐλπίδι τῆς μετέχειν. In qua lectione duo notanda; primum post ὁ ἀλοῦν subaudiendum ἀλοῦν, idque ex simili ἀρροῦν, quod præcesfit. Deinde μετέχειν referendum non ad posterius tantum, sed & ad prius ἐπὶ ἐλπίδι. Qui jumentis consultum voluit, multo magis hominibus laborantibus, ut laborem soletur spes mercedis, sive ea detur in parte rei ipsius, in qua laboratur, ut fit colonis partiaris; sive in pecunia, quæ omnium rerum vicem subit,